



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum ens in quantum ens, habeat in mente nostræ vnum
conceptum formalem omnibus entibus communem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

tur, nisi ex vi appetitus voluptatis, vel lucris: & sic de aliis, non autem ex vi appetitus scientiæ: ut sic, cum sint veræ, & in suo genere perfectæ scientiæ. Quod etiam experientia docet: multi enim in harum scientiarum exercitio recreantur, non propter vsum, vel utilitatem, sed solum ut scient. Regulariter autem solum propter utilitatem aliquam humanam quærentur: quia hoc est magis conforme institutioni & fini talium artium: & quia sensibilia commoda vel necessitates aut voluptates frequentius plus movent: & quia si scientia propter solam veritatem quærenda esset, in aliis scientiis nobilioribus, quæreretur, præsertim cum non possit homo omnibus simul vacare. Si igitur prædictæ scientiæ appetibiles quidem sunt, multo tamen magis speculatiuæ, si appetitus hominis, ut homo est, spectetur, & aliis humanis commodis, aut necessitatibus non impediatur.

Totius questionis resolutio.

Ultimo cõcluditur ex dictis omnibus assertio intentæ, Metaphysicæ esse maximè appetibilem ab homine ut homo est, tam appetitu naturali, quam rationabili optime ordinato. Probat ut tacite ab Aristotele in fine eiusdem capituli: quia inter omnes speculativas scientias, hæc maximè nomen sapientiæ meretur: cum versetur circa primas causas, omniumque principia, quod à nobis superiori sectione satis declaratum est: si ergo scientiæ speculatiuæ inter omnes maximè appetuntur, inter quas hæc est suprema: erit utique ex se maximè appetibilis. Tandem maximus hominis appetitus est ad suam naturalem felicitatem: hæc autem per hanc scientiam comparatur, vel potius in ipsius perfectæ assecutione consistit. Nam ut traditur lib. 10. Ethicor. hæc felicitas in contemplatione Dei & substantiarum separatarum posita est: hæc autem contemplatio proprius actus est, & præcipuus finis huius scientiæ: ergo & felicitas naturalis in actu huius scientiæ consistit: est ergo hic appetitus maximè consentaneus, tam nature, quam rectæ rationi. Superest ergo ut omni diligentia & studio hanc perfectissimam scientiam inuestigamus.

DISPUTATIO II.

De ratione essentiali seu conceptu entis.



Is suppositis, quæ de obiecto seu subiecto huius scientiæ tradidimus, necessarium in primis est, eius propriam, & adequatam rationem, ac deinde proprietates eius, & causas exponere, & hæc erit prior principalis pars huius operis. In posteriori præcipuam eius partitionem proponemus, atque ita res omnes, quæ sub ente continentur, & illius rationem includunt, ut sub obiectiva ratione huius scientiæ cadunt, & à materia in suo esse abstractunt, quantum ratione naturali attingi possunt, inuestigabimus, & explanabimus. Ut enim maiori compendio ac brevitate utamur, & conveniente methodo universa tractemus, à textus Aristotelici proluxa explicatione abstinendum duximus, resque ipsas, in quibus hæc sapientia versatur, eo doctrinæ ordine ac dicendi ratione, quæ ipsis magis consentanea sit, contemplari. Nam, quod spectat ad Philosophi textum in his Metaphysicæ libris, nonnullæ partes eius parum habent utilitatis, vel quod varias questionibus ac dubitationibus proponat, easque insolutas relinquat, ut in toto tertio libro, vel quod in antiquorum placitis referendis, & refutandis immoretur: ut ex primo fere libro, & ex magna parte aliorum constare facile potest: vel denique quod eadem, quæ in prioribus libris dicta fuerant, vel re-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

petat, vel in summam redigat, ut patet ex libro undecimo, & aliis. Quæ vero utilia sunt, scituque digna, & necessaria, insudarunt satis in eis explicandis, prout in litera Aristotelis continentur, varii expostitores Græci, Arabes, & Latini, ex quibus nos præcipue utemur Alexand. Aphrodisæi, Auerrois, & maximè omnium Divi Thomæ expositione. Rerum verò ipsarum examinationem in sequentibus disputationibus trademus, simulque curabimus Aristot. mentem ac sensum, & singula testimonia, in quibus fere quæstiones omnes fundari solent, accuratius declarare. Ut verò Aristotelis studiosis omni ex parte satisfaciamus, in fine huius operis indicem quæstionum omnium, quæ circa textum Aristotelis, & servato eius ordine tractari solent, vel nobis occurrerunt, posuimus, & loca, in quibus nos eos disputamus, designavimus. Quod si fortasse sententiæ aliquæ Aristot. quarum cognitio ad alias scientias utilis est, in his libris occurrant, quæ in nostris disputationibus, servato doctrinæ ordine, quem instituvimus, tractari non possunt, in eodem indice breves circa textum Aristot. annotationes tradimus, in quibus, quidquid in disputationibus tactum non est, & aliquid difficultatis, vel utilitatis habet, declaramus. In præsentem ergo disputationem explicanda nobis est quæstio, quid sit ens in quantum ens: nam, quod ens sit, ita per se notum est, ut nulla declaratione indigeat. Post quæstionem autem, an sit, quæstio quid res sit, est prima omnium, quam in initio cuiuscunque scientiæ de subiecto eius præsupponi, aut declarare, necesse est. Hæc autem scientia, cum sit omnium naturalium prima atque suprema, non potest ab alia sumere, vel probatam, vel declaratam subiecti sui rationem, & quidditatem: & ideo ipsam statim in initio tradere, & declarare oportet.

SECTIO I.

Utrum ens in quantum ens, habeat in mente nostra unum conceptum formalem omnibus entibus communem.



Upponenda in primis est vulgaris distinctio conceptus formalis, & obiectivi: conceptus formalis dicitur actus ipse, seu (quod idem est) verbum, quo intellectus rem aliquam seu communem rationem concipit, qui dicitur conceptus, quia est veluti proles mentis, formalis autem appellatur, vel quia est ultima forma mentis, vel quia formaliter representat menti rem cognitam: vel quia reuera est intrinsecus & formalis terminus conceptionis mentalis, in quo differt à conceptu obiectivo, ut ita dicam. Conceptus obiectivus dicitur res illa, vel illa, quæ proprie & immediatè per conceptum formalem cognoscitur seu representatur, ut verbi gratia, cum hominem concipimus, ille actus, quem in mente efficitur ad concipiendum hominem, vocatur conceptus formalis, homo autem cognitus, & representatus illo actu dicitur conceptus obiectivus: conceptus quidem per denominationem extrinsecam à conceptu formali, per quem obiectum eius concipi dicitur, & ideo rectè dicitur obiectivus: quia non est conceptus, ut forma intrinsece terminans conceptionem, sed ut obiectum & materia circa quam versatur formalis conceptio, & ad quam mentis acies directe tendit, propter quod ab aliquibus ex Auerroë intentio intellectus appellatur: ab aliis dicitur ratio obiectiva. Unde colligitur differentia inter conceptum formalem, & obiectivum, quod formalis semper est vera ac positiua res & in creaturis qualitas menti inherens, obiectivus vero non semper est vera res po-

I.
Conceptus
formalis, &
obiectivus
quid sint, &
in quo differant.

Ordo ratio
que doctrina
in hoc opere
servanda.

D 3 titiva,

firiua, concipimus enim interdum priuationes, & alia, quæ vocantur entia rationis, quia solum habent esse obiectiue in intellectu. Item conceptus formalis semper est res singularis, & indiuidua, quia est res producta per intellectum, eique inhærens: conceptus autem obiectiuus interdum quidem esse potest res singularis, & indiuidua, quatenus menti obiecti potest, & per actum formalem concipi, sæpe vero est res vniuersalis, vel confusa & communis, vt est homo, substantia, & similia. In hac ergo disputatione præcipue intendimus explicare conceptum obiectiuum entis vt sic, secundum totam abstractionem suam, secundum quam diximus esse Metaphysicæ obiectum: quia verò est valde difficilis, multumque pendens ex conceptione nostra, initium sumimus à conceptu formali, qui, vt nobis videtur, notior esse potest.

Varia sententia referuntur.

II. PRIMA sententia absolute negat dari vnum conceptum formalem entis, quia reuera sic in se vnus, & præcisus ac distinctus ab alijs conceptibus particularium entium. Ita sentit Caietanus opusculi de analog. nomin. cap. 4. & 6. Licet enim obscure loquatur, & distinguat de conceptu perfecto, vel imperfecto: tamen illa distinctio coincidit cum alia Fonseca ita tractanda: vnde si attente legatur, hoc reuera sentit, eumque veritatem attigisse, aut propius ad illam accessisse, dixit Fonseca 4. Metaphys. capit. 2. quæstio. 2. sectione 3. Fundamentum est, quia alias ens esset vniuocum, & non analogum, quod infra videbimus esse falsum. Sequela probatur, quia vniuoca sunt quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ nomini accommodata est eadem, teste Aristoteli initio Prædicament. sed omnibus entibus commune est nomen entis, ergo vel ratio nominis est vna & eadem, & sic ens erit vniuocum: vel non est vna: & si nec conceptus formalis entis poterit esse vnus: quia conceptus formalis habet suam vnitatem ex aliqua vna re, vel ratione concepta, quam adæquatè respicit. Vnde, si ille conceptus est etiam voci seu nomini entis adæquatus, non potest magis esse vnus, quam sit vna ratio entis illo nomine significata.

III. Secunda opinio, quæ potius est præcedentis explicatio, est Farrati. i. contra gent. capite 34. qui distinguit duplicem conceptum, vnum appellat quid nominis, alium quid rei: priorem dicit posse esse vnum in conceptu entis: posteriorem verò minime: vtrumque verò fundat in analogia entis. Et explicatur in hunc modum ex communiratione analogorum: dupliciter enim concipi possunt, vno modo proprio conceptu reali significato per nomen: & hoc modo, quatenus analogi sunt, non habent vnum conceptum realem, sed plures, vt patet, tam in analogis proportionalitatis, quam proportionis seu attributionis. nam si audito hoc nomine, *videns*, proprius conceptus rei significatæ formetur, non vnus, sed duplex conceptus formatur: vnus hominis, qui propriè ac formaliter videns est: alius bruti, quod solum per quandam proportionalitatem sic appellatur. Quod si non vterque horum conceptuum, sed alter tantum formatur, non concipitur illa vox secundum totam analogiam, seu communem significationem ad res illas, sed vel solum prout vniuoca est respectu hominum, vel solum prout translata est, & metaphoricè brutum significat. Et simile est in analogis attributionis, v.g. *sanum*: nam si proprius rei significatæ conceptus formetur, non est vnus, sed multiplex: vnus animalis, quod formaliter, & propriè sanum est, alii aliarum rerum, quæ per varias habitudines, seu denominationes à sanitate animalis extrinsecus sanæ appellantur. In vtroque autem ex his analogis potest vnus conceptus valde confusus

formari, qui magis est de vocis significatione, quam de aliqua re, vt si audito nomine *sanum*, concipias quod habet ordinem ad sanitatem. Sic igitur in præfenti, audito nomine entis, potest formari conceptus confusus comprehendens quidquid habet esse, vel habitudinem ad esse: sed hic tantum est conceptus quid nominis, tamen, si reuera concipiantur res illo nomine significatæ, non formatur vnus conceptus, sed plures.

Nec multum ab hac sententia differt Fonseca supra distinguens triplicem conceptum entis, scilicet, distinctum, confusum, & medium, id est, partim confusum, partim distinctum. Distinctus est, qui determinate & expresse repræsentat omnes entitates simplices, quas ens immediate significat, & hic non est vnus, sed plures. Confusus est, qui repræsentat omnia confusè, & indeterminate, & hic est vnus. Medium verò qui partim confusus, partim distinctus est, qui determinat, repræsentat vnā naturā v.g. substantiam, ceteras verò, scilicet quantitatem, qualitatem, &c. implicite & indeterminate, quatenus omnes cum substantia proportionem quadam conueniunt, & hic etiam vnus esse dicitur.

Sed huiusmodi distinctiones mihi videntur sine causa multiplicari, remque potius confundere, quam explicare. Nam de conceptu formali entis loqui debemus, non iuxta id, quod de rebus omnib. quæ sub hac voce comprehenduntur, cognosci & comprehendendi potest prout in se sunt, sed prout hac voce significatur: alioqui non erit sermo de conceptu entis in quantum ens, sed de conceptu rerum omnium tū existentium, tum etiam possibilium, quatenus tales sunt, & inter se distinguuntur: quomodo à nemine possunt vno conceptu formali distinctè concipi, nisi à solo Deo, vt rectè idem author notauit. Hoc autem sensu etiam conceptus substantiæ, aut viuientis, si illo modo sit explicitus, & distinctus, erit tantū ille, quo omnes substantiæ vel viuientia omnia, quatenus talia sunt, distinctè concipiuntur, quomodo solus etiā Deus poterit habere eorum formalem conceptum distinctum substantiæ, viuientis, &c.

Dices, substantiam, viuens, & similia nomina non significare immediate has vel illas naturas substantiales, aut viuentes, sed rationem substantiæ, viuientis, &c. & ideo ad formandum conceptum distinctū respondentem significato talis vocis, non esse necessarium ad particulares naturas descendere, secus verò esse de ente, quia immediate significat entitates, saltem simplices, id est, non compositas ex natura communi & differentia contrahente. Sed hoc reuera falsum est, vt fusius constabit ex sectione sequente, & nunc breuiter patet ex communi modo concipiendi. Quis enim dicat, ens immediate significare Deum vt Deus est, etiam si Deus simplicissimus sit, & non compositus ex natura communi & differentia contrahente? Denique idem interrogari potest de substantia, accidente, & alijs generibus vel conceptibus simplicibus. Itē, cur magis dicatur ens significare immediate entitates simplices, quam compositas ex natura communi & differentia contrahente, vt est animal, habitus, &c? nā ens vt sic generatim omnia sub se comprehendit, & sicut in conceptu substantiæ, vel qualitatis nihil includitur quod nō sit ens ita neque in conceptu animalis, vel habitus. Quod autem conceptus compositus possit resolui in plures, quorum neuter alterū includat, non autem conceptus simplex, parum refert ad mediatam, vel immediatam significationem. Quis enim credat ens immediate significare rationale, & non hominem, quia rationale dicit simplicem conceptum, & homo compositum? Itaque sistendo propriè ac præcisè in conceptu formali entis vt sic, non pertinet ad ipsum, vt per eum concipiantur distinctè particularia entia secundū proprias & determinatas rationes: ideoque conceptus entis vt sic, si in eo sistatur, semper est confusus re-

specu

IV.
Sententia
Fonseca huius
proxima.

V.
Tot distincti
entium di-
uersitas em-
obesse potius,
quam pro-
fectu clari-
tatis.

VI.

specu particularium entium, vt talia sunt. Et ideo D. Tho. 1. p. q. 14. art. 6. dicit, quod si Deus tantum cognosceret alia a se, in quatum sunt entia, tantum cognosceret in communi, confusè, & imperfectè: vnde concludit, non tantum ea cognoscere secundum quod communicant in ratione entis, sed etiam secundum quod vnum ab alio distinguitur: sentit ergo conceptum entis vt sic, præcisè in eo sistendo semper esse confusum respectu cuiuscunque determinatæ rationis entis, prout in se talis est, & ab aliis distinguitur, siue composita sit, siue simplex.

VII.

Quapropter etiam illud membrum de conceptu partim confuso, partim distincto, est superuacaneum ad rem præsentem explicandam. Primum quidè, quia conceptus substantiæ improprie dicitur, implicite vel confusè esse conceptus accidentis: & in vniuersum conceptus proprius primi analogati improprie similè dicitur esse confusus conceptus cæterorum analogatorum, quæ secundaria sunt, quamuis multi ita loquantur dicentes, sicut idem nomen, licet immediate significet primum analogatum, secundario significat cætera: ita conceptum formalem primi analogati, confusè repræsentare cætera, quatenus illi primo similia sunt, vel proportionalia: nam quod repræsentat distinctè aliquid, consequenter videtur repræsentare, saltem confusè, alia illi similia. Sed hoc quamuis sit parui momenti, & fortasse de modo loquendi, mihi non probatur, quia huiusmodi conceptus proprius & distinctus primi analogati tantum est vnus, & formaliter tantum repræsentat ipsum primum analogatum: in quo non recte cum nomine comparatur, quia nomen significat per impositionem tantum, & ideo idem nomen, quod primariò ac proprie vnum significat, potest per translationem imponi ad alia secundariò significanda: conceptus autem rei tantum naturaliter repræsentat rem ipsam, & ideo si est proprius & adequatus conceptus primi analogati secundum propriam rationem eius non potest repræsentare reliqua, vnde nec per se facit illa cognoscere, sed ad summum esse potest, veluti origo, seu occasio, vt alia concipiantur, & denominentur secundum aliquam proportionem, vel habitudinem ad primum analogatum: quod non est satis, vt conceptus specialis & proprius primi analogati dicatur implicitus vel confusus reliquorum. Deinde interrogo, an ille conceptus primi analogati sit idem omnino cum conceptu, qui respondet proprio nomini eiusdem rei seu naturæ, v.g. substantiæ, an vero sit diuersus? Hoc posterius dici non potest, quia, si vterque est proprius conceptus substantiæ, intelligi non potest, in quo sit diuersitas, vt alter dicatur repræsentare accidentia, & non alius. Si verò dicatur prius, ergo non magis potest ille conceptus dici repræsentare accidentia, quam conceptus proprius hominis alia animalia, imò minus id dici poterit, cum sit minor similitudo. Item quia alioqui dicendum esset, substantiam habere vnum conceptum formalem aliquo modo communem substantiæ, & accidenti, quod reuera improprium est, & in rigore falsum, quia licet accidens dicat habitudinem ad substantiam, tamen conceptus substantiæ nullo modo repræsentat illam habitudinem, sed solum terminum eius, & illi non formaliter sub ratione termini, sed secundum absolutam rationem suam: ergo hoc non satis est, vt ille conceptus dicatur implicitus, vel confusus conceptus accidentis. Atque idem considerari facile potest in cæteris analogatis, seu conceptibus eorum: nam conceptus formalis hominis idè est vt sic, nullo modo est conceptus confusus prout, nec conceptus proprius animalis sani est conceptus medicinæ, & sic de aliis. Et ratio est, quia id, quod fundat huiusmodi analogiam, vel est aliqua realis conuenientia seu similitudo inter analogata, vt de ente infra dicemus: & illa non repræsentatur per conceptum proprium alius analogati: vel non est propria similitudo, sed

Modum loquendi aliorum non probatur.

solum proportio quædam, vel attributio, & hæc etiam non satis est, vt conceptus proprius vnus analogati, vt tale est, repræsentet aliquo modo reliqua, sed solum formam illam, per ordinem ad quam reliqua talia denominantur, quæ absolute & prout in se talis est, & non cum habitudine ad reliqua, per talem conceptum repræsentatur.

Addo vterius: Quidquid sit de hoc loquendi modo, quod determinatus conceptus substantiæ dicatur confusus reliquorum generum entium, seu accidentium; tamen adhuc ille dici non potest conceptus formalis entis vt sic, tum quia ille est proprius conceptus formalis substantiæ, vt substantia est, conceptus autè proprius entis esse debet diuersus à conceptu substantiæ, quandoquidem ens rectè diuiditur in substantiam & accidentia; tum etiam, quia ens non significat immediatè substantiam, vt infra ostendamus: ergo nec immediatè exprimit proprium formalem conceptum substantiæ. Relinquitur ergo conceptum formalem entis vt sic, comparatum ad determinata entia, vt talia sunt, semper esse conceptum confusum & distinctum in repræsentando hoc, vel illud ens. Dico autem, respectu particularium entium, vt talia sunt, quia respectu eius obiecti, quod immediatè & proprie repræsentat (quodcunque illud sit) dici potest, & reuera est proprius & distinctus conceptus, sicut idem conceptus animalis, qui respectu hominis est confusus, respectu animalis vt sic, est proprius & distinctus, quamuis sub hac eadem comparatione idem conceptus simplex soleat dici confusus, respectu illius conceptus compositi, quo animal per suam definitionem concipitur. Atque simili modo potest, vel in diuersis hominibus, vel in vno diuersis temporibus, vnus conceptus entis esse distinctior alio, & è contrariò vnus potest vocari confusus respectu alterius distinctioris, quatenus contingit ipsammet rationem seu quidditatem entis vt sic, magis vel minus perfectè cognosci: quæ distinctio conceptuum formalium nihil ad propositum refert: quia magis est ex parte concipientis, & ex perfectio vel imperfectio lumine, vel modo concipiendi, quam ex habitudine ad obiectum quam hic præcipue consideramus.

VIII.

Vera sententia.

His ergo distinctionibus prætermisitis dicendum est, conceptum formalem proprium & adequatum entis vt sic, esse vnum, re & ratione præcisum ab alijs conceptibus formalibus aliarum rerum & obiectorum. Hæc est communis sententia, vt fatetur Fonseca supra, tenent eam Scotus, & omnes eius discipuli, vt videbimus sectione sequente, Capreol. in 1. distinct. 2. quæst. 1. conclus. 1. & 9. & in responsionibus ad argument. contra illas: & Caietan. de ente & essen. cap. 1. quæst. 2. qui citat D. Thom. q. 7. de pot. art. 5. & 6. Soncin. 4. Metaphys. quæst. 1. Iauell. quæst. 1. Flandria q. 7. ar. 6. Heruæus quodl. 2. q. 7. Scotus in prædicam. ca. 4. quæst. 1. & plañe colligitur ex D. Tho. locis citandis, sect. seq. Et probatur primò experientia, audito enim nomine entis experimur mentem nostram non distrahi neq. diuidi in plures conceptus, sed colligi potius ad vnum, sicut cum concipit hominem, animal, & similia. Secundò, quia, vt Aristoteles dixit 1. de Interpret. per voces exprimimus nostros formales conceptus: sed hæc vox, *ens*, non solum materialiter est vna, sed etiam vnam habet significationem ex primæua impositione sua, ex vi cuius non significat immediatè naturam aliquam sub determinata, & propria ratione, sub quâ ab alijs distinguitur. Vnde nec significat plura, vt plura sunt, quia non significat illa secundum quod inter se differunt, sed potius vt inter se conueniunt, vel similia sunt: ergo signum est huic voci respondere etiam in mente vnum conceptum formalem;

IX.

D 4

quod

quo immediate & adæquate concipitur, quod per hanc vocem significatur. Vel potius è contrario hoc signo colligimus, ex tali modo concipiendi res vno conceptu, talis nominis impositionem processisse. Tertio argumentari possumus ex conceptu existentie: videtur enim per se evidens, dari vnum conceptum formalem existentie vt sic, quia, quoties hoc modo de existentia loquimur, & disputamus tanquam de vno actu, reuera non formamus plures conceptus, sed vnum: ergo etiam conceptus formalis existentis vt sic, vnus est, quia sicut concipitur abstractum per modum vnus, ita & concretum vt sic, præcise constitutum: ergo similiter enti vt sic, vnus conceptus formalis respondet: nam ens vel est idem, quod existens, vel, si sumatur, vt aptitudine existens, conceptus eius habet eandem rationem unitatis. Hinc etiam conceptus entis, non solum vnus, sed etiam simplicissimus dici solet, ita vt ad eum fiat vltima resolutio cæterorum, per alios enim conceptus concipimus tale, vel tale ens: per hunc autem præscindimus omnem compositionem & determinationem, vnde hic conceptus dici etiam solet ex se esse primus, qui ab homine formatur, quia, cæteris paribus, facilius de quacunque re concipi potest, quæ omnia tradit D. Thom. quæst. 1. de ver. artic. 1. & quæst. 21. art. 1. & Auicenna. 2. Metaph. Quapropter de unitate huius conceptus communis, mihi, & confusi, fere nullus est, qui dubitet: ostendimus autem nullum alium posse vere ac proprie dici conceptum entis vt sic, qui non sit confusus respectu particularium entium, vt talia sunt. Tandem, si conceptus formalis entis non est vnus: erunt ergo plures: quot ergo erunt? non est maior ratio de duobus, quam de tribus, vel quolibet alio numero: quia, si multiplicantur hi conceptus, necesse est multiplicari iuxta aliquam diuersitatem rerum, vel entitatum sub latitudine entis comprehensarum: hæ autem entitates in infinitum possunt multiplicari, & secundum proprias rationes distinguui, & si semel ponitur, conceptum vel conceptus entis vt sic, representare determinatas naturas entis, etiam vt distinctas, non est vlla ratio, cur sistendum sit in duabus potius, quam in tribus vel quatuor, &c. vt euidentius constabit ex his, quæ sectione sequente dicemus de conceptu obiectiuo: nam, licet formalis, quatenus à nobis, & in nobis sit, videatur esse posse experientia notior, tamen exacta cognitio unitatis eius multum pendet ex unitate obiecti, à quo solent actus suam unitatem & distinctionem sumere.

X.

Ex quo intelligitur primo, quo sensu quæ ratione hic conceptus formalis dicatur secundum rem ipsam præcisus ab aliis conceptibus, scilicet, quia à parte rei est realiter distinctus à conceptu substantie vt sic, accidentis, qualitatibus, & cæteris similibus: loquimur enim in intellectu humano, qui dum ea etiam, quæ in re distincta non sunt, mente diuidit, in seipso conceptus parit, conceptus realiter distinctos formando eiusdem rei secundum diuersam præcisionem, vel abstractionem rei conceptæ, quomodo conceptus formales iustitiæ, & misericordiæ diuina in nobis sunt realiter præcisi, seu distincti, quæuis misericordia & iustitia in se non distinguantur. Sic igitur conceptus entis vt sic, cum in representando præscindat à propria ratione substantie vt sic, accidentis, & omnium aliarum, necesse est, vt in se, sit realiter præcisus, & distinctus à conceptibus propriis talium rationum vel naturarum, vt tales sunt: & hoc etiam facile omnes fatentur.

XI.

Secundo colligitur ex dictis, hunc formalem conceptum entis, sicut in se est vnus secundum rem, ita etiam secundum rationem formalem suam, & secundum eam etiam esse ratione præcisum à conceptibus formalibus particularium rationum. Patet primo, quia hic conceptus in se est simplicissimus, sicut obiectiue, ita etiam formaliter: ergo in se habet vnam

simplicem rationem formalem adæquatam, ergo secundum eam præscinditur ab aliis conceptibus formalibus. Secundo, quia, sicut mens nostra præscindendo ea, quæ in re non distinguuntur, in seipsa realiter distinguit conceptus formales suos, ita è conuerso confundendo, & coniungendo ea, quæ in re distinguuntur, quatenus in se similia sunt, vnit conceptum suum, formando illum re & ratione formali vnum: hoc autem modo concipiuntur entia hoc formali conceptu entis: sumit enim mens illa omnia solum, vt inter se similia in ratione essendi, & vt sic, format vnam imaginem vnica representatione formali representantem id, quod est, quæ imago est imple conceptus formalis: est ergo ille conceptus simpliciter vnus re & ratione formali, & secundum eam præcisus ab his conceptibus, qui distinctius representant particularia entia, seu rationes eorum.

Tertio sequitur, hunc conceptum formalem entis non solum esse vnum, sed etiam non posse esse plures secundum habitudinem ad obiecta magis determinata, seu distinctius concepta ex parte obiectorum. Possunt quidem hi conceptus formales multiplicari, vel secundum numerum in diuersis subiectis, vel in eodem diuersis temporibus, forte etiam secundum speciem ex parte concipientis altiori modo, vel eum maiori claritate, & distinctiori apprehensione ipsius rationis formalis entis vt sic (quamuis fortasse tota hæc distinctio sit solum secundum magis & minus intra eandem speciem, maxime sistendo in conceptibus, qui ab homine naturaliter formari possunt) at vero ex maiori vel minori determinatione obiecti non potest conceptus entis vt sic, multiplicari: quia, vt ostensum est, hoc ipso, quod non sinitur in communi conceptione entis vt sic, sed descenditur ad hoc & illud ens, vt talia sunt, licet multiplicentur conceptus formales, non tamen conceptus entis vt sic: sed adiungendo conceptum substantie, vel accidentis, &c.

XII.

Formalis conceptus entis vt sic, non multiplicatur secundum multitudinem obiectorum particularium.

Quarto colligitur ex dictis, falso vocari hunc conceptum tantum nominis, & non rei significatæ nomine entis, & secundum eam rationem, qua per illud significatur. Primo, quia, vt dixi, hic conceptus prior est voce, & impositione eius ad res tali modo significandas. Nam, licet quoad nos conceptus sæpe formentur mediis vocibus: tamen secundum se, & simpliciter, prior est conceptus, qui ex se parit vocem, qua exprimitur, & est origo impositionis eius: ergo talis conceptus est simpliciter & absolute conceptus rei secundum se, & non tantum in ordine ad significationem vocis, vt hac ratione dicatur conceptus nominis, seu quid nominis. Secundo, quia hic conceptus est per modum cuiusdam simplicis imaginis naturaliter representantis id, quod per vocem ad placitum significatur: sed in hoc tantum consistit, quod sit conceptus rei, quanquam, quia conceptus ille simplicissimus est, & ideo obiectum eius non potest propria definitione declarari, ad illud explicandum vti solemus descriptionibus, quæ solum videntur nominis significationem distinctius declarare: & hoc modo potest in bono sensu dici conceptus ille esse quid nominis, dummodo non excludatur, quin ille sit proprius, & adæquatus conceptus rei immediate significatæ per illam vocem.

XIII.

Hic conceptus non est tantum nominis, sed etiam rei.

Fundamentum primæ sententiæ (nam de secunda iam satis dictum est) tangit materiam de analogia entis infra tractandam, & pendet etiam ex dicendis de conceptu obiectiuo, nam multi existimant unitatem conceptus formalis non repugnare analogiæ, sed unitatem conceptus obiectiui, de qua re postea. Nunc breuiter dicitur ex D. Tho. in 1. d. 19. q. 5. art. 2. ad 1. inter analogia attributionis quædam esse, quæ significant formam, quæ intrinsece tantum est in principali analogato, in aliis vero solum per habitudinem, vel denominationem extrinsecam: vt sanum, & similia, & his repugnat unitas conceptus formalis: quia analogata

XIV.

Quorum analogorum dicitur unitas ratio communis.

logata non habent inter se propriam similitudinem & convenientiam. Alia vero esse, quæ significant formam seu naturam intrinsece inuentam in omnibus analogatis: & huiusmodi est ens, vt infra videbimus, nam accidentia non sunt entia per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam naturam seu rationem entis, quam participant: & in huiusmodi analogis non est inconueniens dari vnum conceptum formalem simpliciter & absolute in se vnum re & ratione formali adequata: in quo autem eius analogia consistat, infra explicabitur.

SECTIO II.

Utrum ens habeat vnum conceptum seu rationem formalem obiectiuam.

I.
Ratio dubi-
tandi. 1.

Ratio dubitandi duplex est. Prima ta-
cta est scilicet præceden. fundaturque in
analogia entis, quia, si conceptus eius
obiectiuus est vnus, vel vnitate vni-
uocationis, & sic tollitur analogia,
vel vnitate tantum analoga, & sic vel reuera non est
vnus: vel est repugnancia in terminis, quia analogia
intrinsece includit, vel plures rationes habentes tan-
tum inter se proportionem, vel plures habitudines
ad vnā formam, ratione quarum conceptus obie-
ctiuus nominis analogi non potest esse vnus. Quod
declaratur, & confirmatur, quia vt ens habeat vnum
conceptum obiectiuum, necesse est, vt omnia entia
conueniant in vna ratione formali entis, quæ per
nomen, ens, immediate significetur, quia vnitas con-
ceptus obiectiuus requirit vnitatem rei, vel saltem ra-
tionis formalis: si autem omnia entia conueniunt in
vna ratione formali: ergo vt sic, habent vnā, &
eandem definitionem, sicut vnum conceptum obie-
ctiuum: quia, si conceptus obiectiuus vnus est, etiam
definitio eius potest esse vna: ergo nihil deest enti ad
perfectam vniuocationem.

II.
Secunda.

Secunda ratio dubitandi est, quia, si conceptus
obiectiuus entis est vnus, ergo secundum se est præ-
cisus, & abstractus ab omnibus inferioribus, seu de-
terminatis entium rationibus: consequens est im-
possibile: ergo & antecedens. Sequela patet, quia si
conceptus entis est vnus, ergo formaliter & actualiter
non includit in se determinatos modos entium:
illi enim intrinsece opponuntur, & distinctionem ef-
ficiunt: vnde impossibile est, vt in vno conceptu ob-
iectiuo actu includantur: ergo vt conceptus entis sit
vnus, necesse est, vt ab his omnibus præscindat: hoc
autem esse impossibile sic ostendo, quia si ens vt sic,
præscindit à determinatis rationibus entium: ergo
vt ad eas contrahatur scilicet determinetur, aliquid ei
addi necesse est: ergo vel id quod additur, est ens, vel
nihil: si nihil, quomodo potest ens realiter determi-
nare, & propriam aliquam rationem entis consti-
tuere? si vero est ens, ergo non potest ens vt sic, ab eo
præscindi, nam quod ab alio præscinditur, non in-
cluditur in illo. Neque enim intelligi potest, quod
ens præscindatur à modis, quibus contrahitur: &
quod nihilominus in eis intrinsece includatur: neque
est contrario, quod modus contrahens ens, nihil in-
cludat nisi ens, & tamen quod illud determinet ad
specialem rationem entis. Nam contractio, & deter-
minatio non intelligitur sine additione: non potest
autem intelligi additio, nisi id quod additur, tale sit,
vt non includat id cui additur, aut secundum rem,
aut secundum rationem, iuxta modum quo addi in-
telligitur. Et confirmatur, nam ob hanc causam dixit
Arist. 3. Metaph. tex. 10. genus esse extra rationem dif-
ferentiarum, scilicet, quia abstractum, & præscindit ab illis:
ergo, si conceptus obiectiuus entis est præcisus & v-
nus, necesse est, vt in contrahentibus non includatur.

III.
Ratio diffi-

In contrarium autem est, quia vni conceptui for-
mali vnus conceptus obiectiuus necessario respon-

det: sed ostensum est dari vnum conceptum forma-
lem entis: ergo necessario dandus est vnus obiecti-
uus. Maior constat, quia conceptus formalis habet
totam suam rationem & vnitatem ab obiecto: ergo,
vt sit vnus, necesse est, vt tendat in obiectum aliquo
modo vnum: sed conceptus obiectiuus nihil aliud
est, quam obiectum ipsum, vt cognitum vel appre-
hensum per talem conceptum formalem: ergo, si
conceptus formalis est vnus, necesse est, vt obiecti-
uus etiam vnus sit.

cultam
contrariū

Varia sententia referuntur.

In hac quæstione, qui negant dari vnum conce-
ptum formalem entis, consequenter etiam negant
dari obiectiuum. Ecce sententia Caiet. locis cit. scilicet præ-
ced. in prima opinione, & Ferrar. loco citato. Ex his
vero, qui admittunt vnum conceptum formalem
entis, negant vnum obiectiuum, Soncin. 4. Metaph.
q. 2. & 3. & Hispal in 1. d. 3. q. 1. Heruzus & Flandr. locis
cit. scilicet præced. Tribuitur etiam Capreolo, sed reue-
ra id non docet, vt infra dicam. Citatur etiam pro
hac sententia D. Tho. 1. p. q. 13. art. 5. q. 7. de potentia,
art. 7. q. 2. de verit. art. 11. quibus locis significat, voci-
bus, quæ communes sunt Deo, & creaturis, non re-
spondere vnā rationem conceptam seu significa-
tam, sed plures. Fundamenta huius opinionis tacta
sunt in principio: nam licet plura argumenta ab his
auctoribus afferantur, tamen vis omnium in duabus
difficultatibus tactis posita est. Non conueniunt au-
tem prædicti auctores in explicando conceptum, vel
potius conceptus obiectiuus, qui enti correspon-
dent. Quidam enim aiunt, immediate representari
per conceptum formalem entis omnia genera en-
tium, quatenus inter se habent aliquam proportio-
nem vel habitudinem, vt Ferrar. & idem sentit Cai-
et. Alij vero dicunt, per conceptum formalem entis
immediate representari hoc disiunctum, substantia vel
accidens, vt Soncin. Heruzus, & alij. Rursus alij dicunt
representari absolute omnia genera, seu rationes, vel
conceptus simplices, non copulatiue, nec disiunctiue,
vel simpliciter, vt Fonseca 4. Meta. c. 2. q. 2. scilicet 4. & 7.

IV.
Prima sen-
tentia
Petrus 2.
physic 6. 2. h
fine.

Secunda sententia omnino contraria est, dari con-
ceptum obiectiuum entis simpliciter vnum. Hanc
tenet Scot. in 1. d. 3. q. 1. & 3. d. 8. q. 1. & in 2. d. 3. q. 3. & P.
Iauell. 4. Metaph. q. 1. Soto in prædicam. c. 4. q. 1. & in
eadem opinione est Capreolus in 1. d. 2. q. 1. Est tamen
diuersitas inter hos auctores: nam Scotus ponit hunc
conceptum ex natura rei præcisum ab inferioribus
naturis, & modis contrahentibus ens. Alij vero so-
lum ponunt hanc vnitatem conceptus obiectiuus ex
modo concipiendi nostro, absque præcisione & di-
stinctione, quæ sit in rebus: de qua diuersitate opi-
nionum dicemus scilicet seq. De alia vero differentia,
quæ etiam est inter hos auctores quoad vniuocationem,
vel analogiam, dicemus inferius.

V.
2. Sententia.

Tertia opinio media inter prædictas, vtitur distin-
ctione, & variis modis explicatur. Quidam enim di-
cunt, conceptum entis obiectiuum in se & absolute
sumptum sine inferioribus, esse vnum, & ratione præ-
cisum ab illis, tamen comparatum ad inferiora, & vt
inclusum in illis, non esse vnum: & ita conciliant ra-
tiones dubitandi in principio adductas: nam, quia
per conceptum formalem entis concipitur ens secun-
dum se, & sine vlla comparatione ad inferiora, neces-
se est, vt sub hac saltem consideratione conceptus ille
obiectiuus habeat vnitatem. Quando vero hic con-
ceptus consideratur, vt in ipsis inferioribus existens,
non potest habere vnitatem: differunt n. ipsa inferiora,
v. g. substantia & accidens, per id ipsum quo entia
sunt: ergo non possunt in illo vt sic, habere vnitatem,
quia non possunt secundum idem conuenire & dif-
ferre, & hanc est posteriorem partem confirmant ratio-
nes dubitandi in principio positæ. Aliter Fonseca supra,
supposita illa distinctione de conceptu confuso, di-
stincto;

VI.